

tatur Hesychius, et ἐπισπέρχουσαι per ἐπισπεύδουσαι, ἐπειγόμεναι. Idem aoristum ἐπέσπερξα, cuius exemplum nullum superest, per ἐφώρμησα explicuit. Aeschylus hoc verbo usus est Sept. 689. ἐπεὶ τὸ πρᾶγμα κάρτ' ἐπισπέρχει θεός, ubi Thomas Magister pariter per ἐπισπεύδει explicuit.

496. μήποθ' ἡμῖν] Tres quae in initio huius versus exciderunt syllabas recte supplevisse videtur grammaticus cuius ex coniectura in apographis pluribus legitur μήποτε μήποθ' ἡμῖν. Duplicato μήποτε usus est Aeschylus Prom. 894. μήποτε μήποτε μ', ὦ | πότνια Μοῖραι —. et Euripides Phoen. 190. μήποτε μήποτε τάνδ', ὦ πότνια —. In versu proximo ἀψεγές ex ἀψεφές corruptum videri dixi in annotatione.

514. ἔλιπεν ἐκ τοῦδ' οἴκου | πολύπυγος αἰκία] Quod librarius in L. primo scripserat οἴκουσ recte ipse correxit deleto σ, etsi οἴκουσ legit scholiasta, ἀφ' οὗ ὁ Μυρτίλος ἀπέθανεν, οὐ διέλιπεν αἰκία τοὺς πολυκτῆμονας δόμους· ὁ γὰρ Ἑρμῆς πατήρ Μυρτίλου ἐμήνισε τοῖς Πελοπίδαις. qui pro πολύπυγος aliud quod per πολυκτῆμονας explicuit legisse videtur adiectivum, sive id πολυπόρους fuit, quod per dives, locuples, interpretantur Glossaria vetera, sive πολυβότους, quod per πολυκτῆμων explicatur in scholiis ad Aeschyli Sept. 780. Sophocles vero non dubitandum quin πολύπυγος scripserit. Nam αἰκία, ut in annotatione monui, epitheto magis opus habet quam οἴκου et verba πολύπυγος αἰκία aptissime hoc carmen claudunt, cuius in initio πολύπυγος ἱππεία ut malorum origo nominata erat.

606. χρῆς pro χρῆ restituit Wunderus. De quo verbo supra diximus ad Aiac. v. 1373.

686. τᾶφέσει (nam sic, non τῆ' φέσει, scribere debebat) certa emendatione restituit Musgravius pro τῆ' φύσει, quod scholiastae nihil mali suspicati more suo explicare studuerunt.

691. ἄθλ' ἄπερ νομίζεται Porsoni emendatio est pro πένταθλ' ἄ νομίζεται. Tacet scholiasta vetus: infimae vero aetatis grammaticus versus illos de ludis Pythicis duo adscripsit, de quibus supra dicebam p. V.

693. ὠλβίζετ', Ἀργεῖος μὲν ἀνακαλούμενος] ἀγκαλούμενος scribendum videri, (quod Sophoclis aetate ἀνκαλούμενος scribebatur) et mox v. 715. ἀμμεμιγμένοι potius quam ἀναμε-